



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 14. Recordatio peccati remedium est humilitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

S. Ambr. se se nullis anteponunt. *Nihil excelsius humi-*
 lib. 7. sup. *litate*, ait S. Ambrosius, *qua quasi semper su-*
 Luc. *perior nescit extolli, quia nemo id affectat, quod*
infra se iudicat.

§. XIII.

Recordatio peccati remedium est humilitatis.

Volater. Volaterranus alijque referunt, multos
 lib. 21. mortales bello captos, aut quia fides eorum
 Sab. lib. 5. suspecta esset, ad pedes Friderici I. Imp. ex
 En. 9. Po- Cisalpina Gallia in Germaniam redeuntis
 lyd. lib. 7. supplices iacuisse, *albis vestibus* amictos, ve-
 niamque petijisse in patriam abeundi. Qua
 impetrata, postliminiò reuersi, voto, in
 eo habitu perseuerasse dicuntur; lanificio &
 orationibus dediti. Vnde *Humiliaterrũ Ordo*
 nomen traxit, postea ab Innocentio III.
 primùm, inde ab alijs Pontificibus confir-
 matus. Hic Ordo, etsi postea alia passus,
 interierit, spirituali tamen modo reuiuif-
 cit. Nam omnes pij sanctiq; homines inde
 sunt humiles, vnde humiliati. Memine-
 runt quippe, se olim in captiuitate damo-
 nis, Deoq; perfidos fuisse, & , in primis
 Parentibus; præuaricatos, in Baptismo, in
 Pœnitentiæ sacramento, supplices veniam
 potestatemq; cælestis patriæ adeundæ con-
 secutos. Quare, quidquid postea præclari
 gerunt,

gerunt, non rapiunt in glorias inanes, neq; sibi de eo vanè complacent; quia semper recordantur, se esse peccatores. Frænum illis optimum est vanitatis, memoria delictorum: cùm etiam Epaminondas solitus aliàs prodire vnctus & fronte exporrectâ, postridie conflictûs cum Spartanis, ad Leuctra, quantumvis victor, sordidatus & vultu deiecto sit progressus, similem ob causam. Nam requirentibus, Num quid ei tristius accidisset? Nihil, inquebat, verùm heri animadverti, maiores me, quàm decebat, animos gessisse. Quare nimiam animi effusionem hodie coerceo. Ad hunc modum vel miraculorum patratores cristas demittunt, cùm in memoriâ reuocant, se deliquisse. Neque supercilio rem dignam iudicant, si multa mala, quæ perpetrauerunt, aliquibus operibus bene gestis compensent. Sic à malis natum ex ipsa malorum compensatione periculum quodam modestiæ fræno cohibetur.

Plutarch.
in Apoph.

§. XIV.

S. Pauli exemplo, propria peccata, & aliorum virtutes esse ante oculos ponendas.

Hinc profunda illa humilitas, & prorsus admiranda D. Pauli Apostoli nata est,

K k 5

vtiq;